Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 121
Quelle:
Copyright:

rant, quam in Editis hodiernis. Fol. 55. p. 2. orditur S. *Marcus* eadem ratione ab Actis suis splendide depictis ea solum differentia, quod Insigne *Austriae* locum prae *Styriaco* tenet. *Fol.* seq. solam I literam admireris, primam videlicet textus et vocis *Initium.* Solum in hoc *Evangelio Caput* IX. aliter ac in Editis ab VIII. dividitur. *Fol.* 91. p. 2. visuntur in totidem loculis Acta S. *Lucae*, Insigni *Austriae* rursus angulum dextrum superiorem tenente. *Fol.* sequens speciosissima litera F occupatur addita tamen in limbo continuatione: *Uit in diebus herodis regis iudee.* Igitur deest Προλεγομενον illud ad Theophilum: *Quoniam quidem multi* &c. Capitum initia cum Editis conspirant. *Fol.* demum 148. p. 2. depinguntur Acta S. *Johannis*, Insignibus, ut in *Luca* dispositis, et *Fol.* sequens sola litera I superbit, *pag.* altera inchoante: *N principio erat uerbum* &c. In solo Capite XVII. divisionis differentia. Ad calcem lineis aureis et caeruleis alternantibus haec clausula: *Et ego Johannes de Oppauia, presbiter. Canonicus Brunnensis Plebanus in Lantskrona. hunc Librum. Cum auro purissimo de penna. Scripsi. Illuminaui. Atque deo cooperante compieui. In anno domini. Millesimo. Trecentesimo. Sexagesimo. VIII°.* En Canonicum χαλκεντερον και 'αδαμαντινον, qui sacrae, qua fungebatur, animarum curae laborem ejusmodi adjunxit, qui solus videri queat, integrum hominis aevum deposcere. Adjecta est Icon *Christi* judicis insidentis iridi, adstante infra Matre et Nutritio. Ut porro aliquod lectionis specimen proferam, *Job.* c. 1. habetur: *quem dixi vobis*, pro *quem dixi; Per ihesum facta est*, pro *per Jesum Christum; nisi unigenitus filius*, pro *unigenitus filius; Peccata mundi*, pro *peccatum; Manifestaretur in Israel*, pro *manifestetur; Filius iohanna*, pro *Jona;* unde Textum satis castigatum esse liquet. Seculo sequente *Codex* ad *Fridericum* III. Imp. devenit. Video enim *fol.* 1. p. 2. ejus Symbolum A. E. I. O. V. cum anno 1444. Atque is pro merito theca eum decumana argento inaurato squallenti biennio post vestivit, nam in ejus ansulis et Symbolum mox dictum, et annus 1446. insculptus cernitur.

LIII. VIII E. 2.

Codex membraneus lat. Sec. 351
XIII. Folior. 56. f. columna angusta, ut margines Notis paterent, pereleganter scriptus, literisque initiorum picturatis venustus exhibet *Evangelium D. Marci*, Glossis marginum instructum et interlinearibus, unde et linearum luculenta distantia. Praeit *Marci* Vita in *Bibliis glossat. Lugd. T. V. fol. 88:* 1545. tributa *Hieronymo*, quae incipit: *Marcus euuangelista dei et petri in baptismate filius*, et non uno loco correctior est editis. Textus ipse hinc inde a Vulgato variat. Ita C. I. legitur *omnis regio galileę* pro *omnis Judaeae regio. Veniet fortior* pro